Słowikowski Justi: Fax ignea (Theoremata theologica – de ineffabili Eucharistiae sacramento –

FAX IGNEA,

IN DIVINISSIMO SACROSANCTÆ EVCHARISTIÆ

SACRAMENTO,

Diuini erga genus humanum Amoris, perpetuis Flammis

ACCENSA,

AC

In Aquinatico Candelabro Theologicis Theorematibus,

LVCI PVBLICÆ

EXPOSITA,

Admodùm Rńdo. ac Dignissimo Patri, S. Theol. DOCTORI,

P. MARTINO BOROVIO,

Prouinciæ Poloniæ iterum Reelecto

PROVINCIALI VIGILANTISSIMO,

ORDINIS PRÆDICATORVM.

Per R. A. P. Sacrę Theologię Pręsentatum

Frm̃. IVSTVM SŁOWIKOWSKI,

Studij Generalis Cracouiensis Ordinarium

Theologiæ Professorem, eiusdem Ordinis.

OBLATA.

Anno Domini M. DC. LXXIX. Mẽse Majo Die 3.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

In Stemma Ordinis

SANCTI DOMINICI.



IGnea Fax CHRISTI luſtrans mortalia ſæcla,
Eſcam ſe tribuit, fercula dans miſeris.
Quiſquis eges vitâ, ad Menſam properare memento:
Guſmanus Catulus te vocat. Ergo veni.
Ne timeas tenebras, lucet Fax, tramite recto
Curres, Menſa tibi hæc Ignea ferĉla dabit.

Adm̄ Rñde Pater PROVINCIALIS, PATER DIGNISSIME.

SVpremę Maieſtatis Dominus, omnium dator munerum DEVS, emblematicè Ignis Conſumens nominatus eſt, dùm Sanctum Sanctorum, Officinam miraculorum, Sacramentum Sacramentorum, Diuiniſſimam ſcilicet Euchariſtiam, Duci Iſraelitico Moyſi reuelaret, illius figuras poneret, & inſinuaret myſteria. Et certè hâc nihil firmiùs veritate, in ſolo Diuiniſſimo Euchariſtię Sacramento DEVM Ignem Conſumentem eſſe, quo genus humanum à frigidiſſimis vitiorum humoribus defæcatum, in ignitæ participatæ Deitatis transformatur ardores. Hæc namq; Sacroſancta Euchariſtia (vt Deuteronomium loquitur:) in Dei dextera Lex Ignea eſt, quam Redemptor noſter IESVS CHRISTVS, in terras veniens, & quid vult, niſi vt in tabulis cordis noſtri ardeat? Hoc pharmacum immortalitatis (vatis Babilonici ſententiâ) eſt Fluuius Igneus rapiduſq; à facie DEI egrediens, vt vniuerſaliſſimo omnes, non ad deletionē ſed ad immortalitatis propagationem, ardētiſſimi Amoris Diuini ignito abſorberentur diluuio. Hoc futuræ iucunditatis amabile præludium (Pſaltis Coronati teſtimonio) Ignitū eloquiū eſt, quo audientium animi ad futuræ iucunditatis incitantur Beatitudinem. Hoc ditiſſimum Deitatis Ærarium, (in quo Saluator amoris ſui diuitias omnes repoſuit,) Fax ignea eſt omnibus lucens, omnibus calore deſeruiens. Hæc Ignea Fax non niues ſed ſuper niuem dealbata corda liquefacit, & lutoſos indurat affectûs: hæc non ceram ſed animam dealbat, & Charitatis feruore purpurat rubinos: hæc non auro ſed Aureo Amori dat fulgorem inſolitum, argentum Conſcientiæ purgans à maculis: hæc viuificat non Phœnicem ſed Peccatorem, & in æternis cineribus ſepelit Dæmones. Quodſi & Faces Græcæ mediis etiam in vndis inundata comburunt; Fax Diuiuiniſſimæ Euchariſtiæ Ignea, etiam in profunda ingratitudinis noſtræ Charybdi laborantes vrit, & corda noſtra in ignitos carbunculos elaborat fructuoſiſſimè. Faces Veſuuianæ duriſſima Metalla conſumunt;

Fax Eucharistica *ipsâ duriores petrâ obstinatos, emollit ad pœnitentiam suauissimè. Faces Licinianæ contra impetum Aquilonis audent.* Lampas Eucharistica, *nec ventis Hæresum agitatur impugnata sceleratissimè. Verè* Eucharistica Fax Ignea *est, in Altari militantis Ecclesiæ semper ardens, ad instar Fornacis Babilonicæ viros innocentia claros, rore perflans, minuendo concupiscentiam, & moderando peccati fomitem; ad instar Orebianæ flammæ Rubum vitiis spinosum, virtutum ac perfectionum vernali incombustibilis firmitatis amænitate exornans; ad instar Eliani ignei Currus, fideles ad Paradisum cælestem eleuans ac deducens. De hac ergo tàm mirabili, tàm augusta* Ignea Eucharistica Face, *dùm Publicæ Luci propono Theologica Theoremata, hæc Tibi A. R. P.* PROVINCIALIS *offerenda censui. Gratiâ etenim Dei & Tu Altera Fax Lucida, Fax Ignea es Prouinciæ Nostræ, non vrens sed illuminans exemplo, zelo pietatis candescens, fraternæ dilectionis æstuans flammis. Hâc Tua Face, annis præteritis illustrabatur Nostra Prouincia, ast & in præsentiarum, in Tuis Lucernis scrutatur intimiùs, iucundiùs visitatur, illuminatur gloriosiùs. A Tua ego Face quot gratiarum radios, quot honorum splendores, quot Paternæ Beneuolentiæ ardores hausi, recepi, mutuaui? Viget certe & æternum vigebit tantæ Tuæ in me vibratæ Lucis memoria, quàm etsi condignè nunquam remuneraturus sim, semper tamen quæsitis nouæ occasionis artibus mihi eadem redibit nunquam abitura. Hæc itaq; Tuæ Dignitati offerens Theoremata, tantæ memoriæ & nunc erigo Colossum supra quem Tuâ collocatâ Face, hoc colloco & Lemma.*
Nunquam Extinguetur.

Vouet & precatur

Admᷣ Rñdæ & Dignissimæ Paternitati Vestræ,

Humillimus Cliens

Fr. IVSTVS SLOWIKOWSKI, *qui supra.*

THEOREMATA THEOLOGICA,

Ex Tertia Parte Summæ Angelici Doctoris, TRACTATV De Ineffabili Eucharistiæ SACRAMENTO,

à Quæstione 73. vsq; ad Quæstionem 84.

I.
De Essentia & Necessitate Eucharistiæ.

DIVINISSIMVM EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM, ab alijs Nouæ Legis Sacramentis distinctum, Ordine quidem tertium, dignitate tamen primum, & Omnium Nobilissimum: Non consistit formaliter in vsu aut sumptione, sed in solis speciebus consecratis, pro ipsisq; supponit. Cum materiali multiplicatione vnum formaliter est, Necessarium Necessitate medij in voto, saltem implicito, tacito, & interpretatiuo.

II.
De Materia Eucharistiæ.

MATERIA huius SACRAMENTI est Panis Naturalis, & Vinum de vite, quorum consecrationem simul iungendam, Ius Diuinum præcipit; requiritur moralis amborum præsentia, neq; vt minor sit quantitas, quam ea in qua Panis & Vini Substantia conseruari possit. Panis Naturalis (inquam) qui ex farina triticea, & aqua Naturali igne decoctis constare debet; ita vt sit Panis idoneus ad esum, vel cibus vsualis esse iudicetur; sit azymus, vel fermentatus: Peccaret tamen Sacerdos Latinus in fermentato, Græcus in azymo celebrans. Certissimum est

panem

Panem ex hordeo, milio, auena, & leguminibus nullam esse materiam: Ex Siligine autem & spelta, vt materiam dubiam existimamus. Vinum ex vuis expressum; non agreste, aut quoquo modo artificiale, alia partialis Materia: cui ex Ecclesiæ Præcepto parum Aquæ miscendum, ita vt in Vinum priùs transeat, Nam alias esset Consecrationis incapax.

III.

De Forma Eucharistiæ, & Transubstantiatione seu Conuersione Panis & Vini, in Corpus & Sanguinem CHRISTI.

FORMA Corporis CHRISTI, Necessitate Sacramenti est hæc: HOC EST CORPVS MEVM: Forma Sanguinis; HIC EST CALIX SANGVINIS MEI, &c. Omniaq; verba, quæ in Consecratione Calicis proferuntur, esse de Substantia Formæ cum D. THOMA Nostro SS. Præceptore tenemus. Vtraq; Forma ad admirabilem illam totius Substantiæ Panis & Vini in verum Corpus, verumq; Sanguinem CHRISTI Conuersionem, à Sanctis Patribus Transubstantiationem vocatam, concurrit; Substantia Panis & Vini nullatenùs remanente, neq; per vllam DEI Potentiam remanere potente, persistentibus independenter à Substantiali subiecto supernaturaliter accidentibus; in quibus Quantitas in omnibus & ad omnem trasmutationem siuè substantialem, siuè accidentalem possibilem, vicem materiæ gerit: & dum Substantia Panis & Vini in Eucharistia desinit, hoc nullo modo per annihilationem fit.

IV.

De Mirabili Modo quo Christ⁹ est in Eucharistia.

DE quo discurrant peritiores exactius; Nos totum CHRISTVM sub vtraq; Specie latere toto corde confitemur, totum in toto, & totum in qualibet parte, ad diuisionem vel corruptionem specierum, indiuisum & incorruptum, quantitatiuè quidem existentem, non extensiuè in ordine ad locum, sed tantũmodo in ordine ad se, & per modum Substantiæ, ab oculoq; corporeo nõ supposita eleuatione inuisibilẽ esse. Aliud in hoc SACRAMENTO ex vi SACRAMENTI, aliud ex naturali concomitantia continetur: Ex vi SACRAMENTI sub speciebus Panis solùm Corpus, sub speciebus Vini solus Sanguis occultatur: Vtrobiq; ex vi immediatæ concomitan-

tiæ

tiæ, Corpus, Sanguis, & Anima; ratione verò mediatæ cõcomitantiæ Verbum & Diuinitas, ratione etiam huius Pater & Spiritus Sanctus, specialiori tamen modo in Eucharistia, quàm in alijs rebus existunt.

V.
De Ministro Eucharistiæ.

MINISTER EVCHARISTIÆ conficiens, solus Sacerdos, cui est necessaria intentio, ad determinatam materiam directa: dispensans ex commissione potest esse Diaconus; Recipiens quilibet homo viuens, Baptizatus, & vsu rationis pollens. Hic namq; obligatur sumere Eucharistiam ne dùm de præcepto Ecclesiastico, sed etiam Iure Diuino. Qui necessariò debet esse in gratia, & si habeat conscientiam peccati mortalis, dummodò adsit copia Confessarij, tenetur præmittere Confessionem, si velit communicare, & non sufficit habere Contritionem seu Conari ad illam; idq; non solùm Iure Ecclesiastico, sed etiam Diuino, cautum est. Nullumq; Ius Diuinum extat de Laica Communione sub vtraq; specie, subindeq; Ecclesiam vsum Calicis Laicis iustè & conuenienter prohibere posse, vt defacto prohibuit: Atq; ita sine causa heterodoxi contra approbatam Ecclesiæ consuetudinem Laicis sub specie Panis tantum sacram Synaxim exhibentis obganniunt.

VI.
De Effectibus Eucharistiæ.

INNVMEROS hoc SACRAMENTVM dignè sumentibus parit Effectus: Imprimis gratiam auget, minuit concupiscentiam, moderatur peccati fomitem; excitat insuper in appetitu sensitiuo salutares ad virtutum operationes motus, & ex opere operato medio charitatis feruore peccata venialia remittit. Deniq; excellens quoddam robur ad perseuerandum tribuit, & actualiter attendenti miram quandam animi dulcedinem conciliat.

VII.
De Sacrificio Eucharistico.

EVCHARISTIA & rationem Sacramenti, & simul Sacrificij habet: Sacramenti quidem inquantùm sumitur, Sacrificij verò inquantum

offertur

offertur, nam eadem formaliter Hostia, quæ modo cruento in Cruce fuit Deo Patri oblata, modo incruento oblata fuit in Cœna, & offertur in Altari sub speciebus Panis & Vini; Offerens principalis est Christus, Instrumentalis Sacerdos qui suo interuentu, huius actionis Theandricæ infinitatem moralem limitare non potest; Infinitatem non quantum ad efficaciam, sed quantum ad sufficientiam. Æqualiter quoad fructum impetratorium & satisfactorium, oblatum pro pluribus, æquè prodest cuilibet, ac si pro vno tantum offeratur, non propterea omni Sacerdoti vnico Sacrificio pluribus stipendijs satisfacere licitum credas, eos enim meritò ad restitutionem obligat Vrbanvs VIII. die 25. Iunij, Anno 1625. Sacrificij huius essentia in sola consecratione consistit, obliganturq; fideles Ecclesiastico præcepto, religioso cultu & attentione Singulis Diebus Dominicis & Festis, interesse Sacrificio Missæ integro, sicut eisdem diebus Diuino præcepto tenentur operibus seruilibus minimè operam dare. Et hæc de Sacratissimo Evcharistiæ Sacramento sufficiant, de quo Ecclesia cum Doctore Angelico sic nos admonet:

Quantum potes, tantum aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficis.

[S.Z]

Disputabuntur Cracouiæ in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis, *PP. Prædicatorum: Respondente P F.* Thoma Grünberg, *Studente Formali. Sub assistentia eiusdem vt supra.*
A. 1679. Die 25 Mense Maij horis pomeridianis.